Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35458
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Tunc aspergantur cerei thurificentur et illuminentur. diaconus quoque incipiat ant. Lumen ad reuelationem gentium et gloriam plebis tue israel. Ps. Nunc dimittis. cum Gloria patri. et postquemlibet versum reiteratur ant. Lumen.

O deinde sequitur oratio. Oremus. Omnipotens sempiterne deus. qui vnigenitum tuum ante tempora de te genitum sed temporaliter de virgine Maria incarnatum. lumen verum et indeficiens. ad depellendas humani generis tenebras. et ad incendendum lumen fidei et veritatis. in mundum misisti. concede propicius. vt sicut exterius corporali. ita etiam interius luce spirituali mereamur irradiari. Per eundem do. Ad processionem ant. Ave gratia plena dei genitrix virgo ex te enim ortus est sol iusticie illuminans que in tenebris sunt. letare et tu senior iuste suscipiens hiesum in vlnas liberatorem animarum nostrarum. donantem nobis et rationem.

℣. Accipiens simeon puerum in manus suas. Gracias agens benedixit dominum.